

Opus A

Sic doce me ut agam, non ut tantummodo sciam quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino, quod non noverat peccatum et intelligitur non fecerat, sic et iusticiam ille vere dicendus est nosce qui facit.

Augustinus super Psalmos.

Opus B

Bonum opus fiat non timore sed amore, non formidine pene sed dilectione iusticie; ipsa enim vera et summa libertas est.

Ibidem.

Opus C

Bonum et rectum est omne quod agimus si nec memoriam decipiat oblivio, nec error intelligenciam, nec iniquitas voluntatem; ab his tribus est omnes quod agimus.

Augustinus super Iohannem.

Opus D

Unusquisque pro operibus suis mercedem accipiet, nec possunt in die iudicii aliorum virtutes aliorum vicia sublevare.

Hieronymus.

Opus E

Cum desideria bona concipimus, semen in terra mittimus; cum vero opera recta incipimus, herba sumus. Cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus; cum in eiusdem boni operis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus.

Gregorius in homelia.

Opus F

Probatio dilectionis exhibitio est operis. Non sibi aliquid credat quicquid sibi animus sine testacione operis respondet de dilectione conditoris mens lingua et vita requiritur. Numquam est amor Dei ociosus, operatur enim magna si est, si vero operari renuit amor non est.

Gregorius in homelia.

Opus G

In opere perfectus non est, cui adhuc lingue pravitas contradicit, nec in sermone laudabilis qui hoc quod loquitur opere non ostendit.

Gregorius libro 19. moralium.

Opus H

Ad vosipsos retrorsum recurrite, si Deum vere amatis exquirite nec tamen sibi credat quicquid animus sine operis attestacione responderit, veniet profecto dies ille in quo pastor pastorum appareat et uniuscuiusque facta in publicum deducat.

Gregorius in homelia.

Opus I

Non solum illa nostra sunt que ipsi gerimus sed eciam illa de quibus in aliorum actione gaudemus.

Leo in sermone.